



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Agenda, Sev Ritvale Osnabrvdense**

**Franz Wilhelm <Osnabrück, Bischof>**

**Coloniæ Agrippinæ**

De Baptismo adultorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41233**

## De Baptismo Adultorum.



*S*iquis adultus sit baptizandus, debet prius secundum Apostolicam regulam in Christiana fide ac sanctis moribus diligenter institui, et per aliquot dies in operibus pietatis exerceri, ejusque voluntas et propositum saepius explorari, et non nisi sciens et volens, probeque instructus, baptizari.

At vero, si quis, dum instruitur, in mortis periculum incidat, baptizarique voluerit, habita ratione periculi vel necessitatis baptizetur.

Adultorum Baptismus, ubi commode fieri potest, ad Episcopum deferatur, ut, si illi placuerit, ab eo solemniter conferatur; alioquin Parochus ipse baptizet, statim caerimonia.

Decet autem, hujusmodi Baptismum, ex Apostolico instituto, in Sabbato sancto Paschatis vel Pentecostes solemniter celebrari.

Quare, si circa haec tempora Catechumeni sint baptizandi, in istos dies, si nihil impediatur, Baptismum differri convenit.

Verum, si circa seu post tempus Pentecostes aliqui conversi fuerint, qui agere ferant, suum Baptisma in longum tempus differri, et ad illud festinent, instructique ac rite parati esse noscantur, citius baptizari possunt.

Catechumenus, instructus, baptizetur in Ecclesia, seu in Baptisterio. Patrinus ei assistat; et ipse Catechumenus ad Sacerdotis interrogationes respondeat; nisi mutus fuerit, aut omnino surdus, vel ignota lingua; quo casu vel per Patrinum, si illam intelligat, aut alium interpretem, vel nutu, consensum explicet suum.

Pro hujus autem veneratione Sacramenti, tam Sacerdotem, qui adultos baptizabit, quam ipsos adultos qui sani sunt, convenit esse jejunos.

Quare non post epulas aut prandia, sed ante meridiem (nisi



ex rationabili causa aliter faciendum esset) eorum Baptisma celebretur.

Admonendus est Catechumenus, ut peccatorum suorum pœniteat.

Amentes & furiosi non baptizentur, nisi tales à natiuitate fuerint: tunc enim de iis idem iudicium faciendum est, quod de infantibus; atque in fide Ecclesiæ baptizari possunt.

Sed, si dilucida habeant intervalla; dum mentis compotes sunt, baptizentur, si velint. Si vero, antequam insanirent, suscipiendi Baptismi desiderium ostenderint, ac vitæ periculum immineat; etiamsi non sint compotes mentis, baptizentur.

Idemque dicendum est de eo, qui lethargo aut phrenesi laborat; ut tantum vigilans & intelligens baptizetur; nisi periculum mortis impendeat, si in eo prius apparuerit Baptismi desiderium.

Sacerdos diligenter curet, ut certior fiat de statu & conditione eorum, qui baptizari petunt, præsertim exterorum. De quibus facta diligenti inquisitione, num aliàs ac rite sint baptizati, caveat, ne quis, jam baptizatus, imperitia vel errore, aut ad questum vel ob aliam causam, fraude doloque, iterum baptizari velit.

Omnes autem, de quibus, re diligenter investigata, probabilis dubitatio est an baptizati fuerint, si nihil aliud impediatur, sub conditione baptizentur.

Heretici verò, ad Catholicam Ecclesiam venientes, in quorum Baptismo debita forma aut materia servata non est, rite baptizandi sunt: sed prius errorum suorum pravitatem agnoscant & detestentur, & in fide Catholica diligenter instruantur: ubi verò debita forma & materia servata est, ommissa tantum suppleantur, nisi rationabili de causa aliter Episcopo videatur.

Cæterum, legantur & serventur ea, quæ supra de Baptismo in communi præscripta sunt.

PAG. 6.